



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XIII. Libro Job,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

nempe Messiae prænuntiam & haberi & esse sciret Balaami prophetiam, qua ex Jacob orituram esse stellam prænuntiavit. Hinc profecto colligere licet Messiam hoc oraculo à Balaamo esse prædictum. Similis est nostra in dissimili Christi Jesu causa ratiocinatio: qui jure an injuria Messiae titulos ac decus sibi arrogaverint, inferius, ut dixi, disputabitur.

Libris Regū & Paralipomenon, XII. Christi dignitatem prædicans Paulus in Epistola ad Ebræos, sic disserit: *Cui enim dixit aliquando Angelorum (Deus,) Filius meus es tu, ego hodie genui te: & rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium? D.* promta sunt postrema hæc è secundo Samuelis: *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus: ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium:* quæ *אֵשֶׁת לְעֵינַי* in Priore Paralipomenon repetita extant. Id vaticinium ex eo genere est, cui mox typicè diximus inesse significationem, quarum altera Salomonem, qui Christi typus fuit, propius respicit, altera Christum, vel potius quædam Salomoni, Christo quædam, nonnulla utrique tribuenda sunt. Conveniunt ista quidem soli Christo: *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum:* tum & ista quæ subnexa sunt: *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Ad quæ videtur allussisse Angelus Gabriel, cum sic sanctam Virginem Mariam alloqueretur: *Hic eris magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Unius autem Salomonis hoc est, quod statim subjicitur: *Si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum.* Pertinet vero ad utrumque, Davide prognatum esse, Dei filium esse, Salomonem quidem adoptione per Christum, Christum ipsum natura, & Deo domum ædificare.

Libro Job, XIII. Jobo etiam, quem Prophetam merito Augustinus appellat, memoratus est Christus: nam velut rem aliquam magnam nuntiaturus sic præfatur: *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro sileo ferreo, & flumini lamina, vel celis sculptantur in silice?* Tum deinde præclarum hoc edit oraculum: *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposta est hæc spes mea in sinu meo.* Sic quidem Vulgata: at Ebraica aliter: *Et ego novi Redemptorem meum vivere, & novissime super pulverem staturum.* Ex his Christum carnem assumpturum, & mortuos suscitatum in aperte docetur in Thargum, & in Interpretatione Syriaca, & in Arabica. Ita intellexit R. Haecadosch in Revelante arcana. Ita sumitur & in Bersith Ketanna. Unde extat Grotii hallucinatio, qui nunquam hæc Judæos ad excitationem à mortuis revulsisse affirmat. Redemptorem, sive, ut Ebraica habent, *הַמָּשִׁיחַ*, Messiam exponunt Rabbinii. Sic Aben Ezra in Isaia caput quinquagesimum nonum, comma vicesimum. *הַמָּשִׁיחַ* præterea propinquum, sive cognatum sonat, quod ei competat jus redimendi res propinqui venditas; atque hoc sensu Christus videtur à Jobo dictus *הַמָּשִׁיחַ*, quod assumpta natura humana frater noster sit effectus. Hanc significationem secutum esse Theodotionem testator Chrysostomus. Jure ergo *הַמָּשִׁיחַ* appellatur Christus, & quod consanguineus noster sit, & quod Redemptor. Novissimum ait super terram staturum; quem admodum & in Apocalypsi se esse ait Christus Alpha & Omega, primum & novissimum, principium & finem. Quo pertinet istud Isaia: *Hæc dicit Dominus rex Israël, & Redemptor ejus Dominus exercituum: Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Eximiam præterea Christi venturi figuram in se expressisse Jobum recte observarunt Polychronius, & alter incertus qui Hieronymo conjunctus est, & Beda à Mariano Victorio esse creditur: atque is collegit multa, quibus illa Christum inter & Jobum constat similitudo.

Libro Psalmorum, VI. Etsi Psalmorum librum inter Propheticos haudquaquam ponunt Judæi, sed inter eos quos *כְּתוּבֵי נְבִיִּים* appellant, Græci Hagiographos; pleraque tamen de Christo prophetice dicta extare in eo non dissententur. Spiritus quidem sancti dictata referre se professus est David, cum dixit: *Spiritus Domini locutus est super me, & sermo ejus per linguam meam: dixit Deus Israël mihi, locutus est fortis Israël.* At Christus Jesus in Lege, Prophetis, & Psalmis prædictiones de se haberi asserverat. Is est nempe *Sanctus & Verus Apocalypseos, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit;* clavem nempe eam, quam abstulisse Legis peritos conqueritur Jesus, ne introirent ipsi, aliove introire sinerent, videlicet vaticiniorum intelligentiam, ac Davidicorum præcipue, quæ paucis ante Christum cognita, à paucioribus etiam in vulgus celebrata & exposita, à Christo Jesu demum & mente intellecta & ipsa re completa